

1 [1] Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope
2 niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque ventri
3 oboedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio,
4 corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis
5 commune est. Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam
6 quaerere et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam
7 maxime longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est,
8 virtus clara aeternaque habetur.

9 Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis an virtute animi
10 res militaris magis procederet. Nam et, prius quam incipias, consulto et, ubi
11 consulueris, mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens alterum alterius
12 auxilio eget.

13 [2] Igitur initio reges—nam in terris nomen imperi id primum fuit—divorsi
14 pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate
15 agitabatur; sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia
16 Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere, lubidinem
17 dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum
18 demum periculo atque negotiis compertum est in bello plurimum ingenium posse.
19 Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret,
20 aequalibus atque constantius sese res humanae haberent neque aliud alio ferri neque
21 mutari ac misceri omnia cerneret. Nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus
22 initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido
23 atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus inmutatur. Ita imperium
24 semper ad optimum quemque a minus bono transferetur.

25 Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi
26 mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes
27 transiere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum
28 ego vitam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enim vero
29 is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari
30 facinoris aut artis bonae famam quaerit.

31 [3] Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit. Pulchrum est bene
32 facere rei publicae, etiam bene dicere haud absurdum est; vel pace vel bello clarum
33 fieri licet; et qui fecere et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi
34 quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequitur scriptorem et actorem rerum,
35 tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primum, quod facta dictis
36 exaequanda sunt; dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malevolentia et
37 invidia dicta putant, ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi
38 quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit.

39 Sed ego adulescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rem publicam latus
40 sum ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute
41 audacia, largitio, avaritia vigeabant. Quae tametsi animus aspernabatur insolens
42 malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta
43 tenebatur; ac me, cum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus
44 honoris cupido eadem, qua ceteros, fama atque invidia vexabat.

45 [4] Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit et mihi
46 reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia
47 atque desidia bonum otium conterere neque vero agrum colundo aut venando
48 servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed, a quo incepto studioque me ambitio
49 mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim, ut

50 quaeque memoria digna videbantur, perscribere, eo magis, quod mihi a spe, metu,
51 partibus rei publica animus liber erat. Igitur de Catilinae coniuratione, quam
52 verissime potero, paucis absolvam; nam id facinus in primis ego memorabile
53 existumo sceleris atque periculi novitate. De cuius hominis moribus pauca prius
54 explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

55 [5] L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed
56 ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae,
57 discordia civilis grata fuere ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens
58 inediae, alboris, vigiliae supra quam cuiquam credibile est. Animus audax,
59 subdolos, varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui
60 profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus
61 animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post
62 dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae; neque id
63 quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat.
64 Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia
65 scelerum, quae utraque iis artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant
66 praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria
67 atque avaritia, vexabant.

68 Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra
69 repetere ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quo modo rem publicam
70 habuerint quantamque reliquerint, ut paulatim inmutata ex pulcherruma atque
71 optuma pessuma ac flagitiosissima facta sit, disserere.

72 [6] Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani,
73 qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur, cumque iis Aborigines, genus
74 hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam

75 in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alii alio more viventes,
76 incredibile memoratu est, quam facile coaluerint: ita brevi multitudo dispersa atque
77 vaga concordia civitas facta erat.

78 Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta satis prospera satisque
79 pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est.
80 Igitur reges populique finitimi bello temptare, pauci ex amicis auxilio esse; nam
81 ceteri metu percussi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti
82 festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam
83 parentisque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis
84 auxilia portabant magisque dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant.
85 Imperium legitimum, nomen imperi regium habebant. Delecti, quibus corpus annis
86 infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicae consultabant; hi vel aetate
87 vel curae similitudine patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio
88 conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat, in superbiam
89 dominationemque se convortit, inmutato more annua imperia binosque imperatores
90 sibi fecere: eo modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum
91 humanum.

92 [7] Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in
93 promptu habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt semperque iis
94 aliena virtus formidulosa est. Sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate
95 quantum brevi creverit: tanta cupido gloriae inceserat. Iam primum iuventus, simul
96 ac belli patiens erat, in castris per laborem usum militiae discebat magisque in
97 decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem
98 habebant. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus
99 erat, non armatus hostis formidulosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae

100 maximum certamen inter ipsos erat: se quisque hostem ferire, murum ascendere,
101 conspici, dum tale facinus faceret, properabat. Eas divitias, eam bonam famam
102 magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam
103 ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possum, quibus in locis maximas
104 hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis natura munitas
105 pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

106 [8] Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubricitate magis
107 quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo,
108 satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama
109 feruntur. Sed quia provenire ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem
110 Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum, qui fecere, virtus tanta
111 habetur, quantum eam verbis potuere extollere praeclara ingenia. At populo
112 Romano numquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisque maxime negotiosus
113 erat: ingenium nemo sine corpore exercebat, optimum quisque facere quam dicere,
114 sua ab aliis benefacta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

115 [9] Igitur domi militaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma
116 avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.
117 Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute
118 certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant.
119 Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate, seque remque
120 publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in
121 bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant
122 quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsati loco
123 cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis magis quam metu imperium
124 agitabant et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

125 [10] Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti,
126 nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab
127 stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia
128 coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium
129 divitiaeque optanda alias, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo imperi, deinde
130 pecuniae cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia
131 fidem, probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem,
132 deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri
133 subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias
134 inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare magisque voltum quam
135 ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post,
136 ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata, imperium ex iustissimo
137 atque optumo crudele intolerandumque factum.

138 [11] Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod
139 tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus et
140 ignavus aequae sibi exoptant; sed ille vera via nititur, huic quia bonae artes desunt,
141 dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens
142 concupivit: ea quasi venenis malis inbuta corpus animumque virilem effeminat,
143 semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur. Sed postquam L.
144 Sulla armis recepta re publica bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes,
145 omnes trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam
146 victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere. Huc accedebat, quod L.
147 Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem
148 maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amoena, voluptaria facile in
149 otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi

150 Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim et
151 publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur ii milites,
152 postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res
153 sapientium animos fatigant: ne illi corruptis moribus victoriae temperarent.

154 [12] Postquam divitiae honori esse coepere et eas gloria, imperium, potentia
155 sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia
156 duci coepit. Igitur ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia
157 invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem,
158 pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere.
159 Operae pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum
160 exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri maiores, religiosissimi mortales,
161 fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant neque
162 victis quicquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. At hi contra, ignavissimi
163 homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores
164 reliquerant: proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti.

165 [13] Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt: a
166 privatis compluribus subvorsos montis, maria constrata esse? Quibus mihi videntur
167 ludibrio fuisse divitiae: quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem
168 properabant. Sed lubido stupri, ganeae ceterique cultus non minor incesserat: viri
169 muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causa terra
170 marique omnia exquirere; dormire prius, quam somni cupido esset; non famem aut
171 sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed omnia luxu antecapere. Haec
172 iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant: animus inbutus
173 malis artibus haud facile lubricinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui
174 atque sumptui deditus erat.

175 [14] In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillumum erat,
176 omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas
177 habebat. Nam quicumque inpudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene bona patria
178 laceraverat quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium aut facinus
179 redimeret, praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis aut pro
180 factis iudicium timentes, ad hoc, quos manus atque lingua periurio aut sanguine
181 civili alebat, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ii
182 Catilinae proximi familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuus in
183 amicitiam eius inciderat, cotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris
184 efficiebatur. Sed maxime adolescentium familiaritates adpetebat: eorum animi
185 molles etiam et fluxi dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut cuiusque studium ex
186 aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari; postremo
187 neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi
188 faceret. Scio fuisse nonnullos, qui ita existumarent: iuventutem, quae domum
189 Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis
190 quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.

191 [15] Iam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum
192 virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia huiusce modi contra ius fasque. Postremo
193 captus amore Aureliae Orestillae, cuius praeter formam nihil umquam bonus
194 laudavit, quod ea nubere illi dubitabat timens privignum adulta aetate, pro certo
195 creditur necato filio vacuum domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi
196 in primis videtur causa fuisse facinus maturandi. Namque animus impurus, dis
197 hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita conscientia
198 mentem excitam vastabat. Igitur color ei exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo
199 tardus incessus: prorsus in facie vultuque vecordia inerat.

200 [16] Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala
201 facinora edocebat. Ex illis testis signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas,
202 pericula vilia habere, post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, maiora alia
203 imperabat. Si causa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontis
204 sicuti sontis circumvenire, iugulare: scilicet, ne per otium torpescerent manus aut
205 animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus
206 Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat et quod plerique
207 Sullani milites largius suo usu rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum
208 exoptabant, opprimundae rei publicae consilium cepit. In Italia nullus exercitus, Cn.
209 Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum petenti magna spes,
210 senatus nihil sane intentus: tutae tranquillaeque res omnes, sed ea prorsus
211 opportuna Catilinae.

212 [17] Igitur circiter Kalendas Iunias L. Caesare et C. Figulo consulibus primo
213 singulos appellare, hortari alios, alios temptare; opes suas, inparatum rem publicam,
214 magna praemia coniurationis docere. Ubi satis explorata sunt, quae voluit, in unum
215 omnis convocat, quibus maxuma necessitudo et plurimum audaciae inerat. Eo
216 convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C.
217 Cethegus, P. et Ser. Sullae Ser. filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L.
218 Bestia, Q. Curius; praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P.
219 Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis domi nobiles.
220 Erant praeterea complures paulo occultius consili huiusce participes nobiles, quos
221 magis dominationis spes hortabatur quam inopia aut alia necessitudo. Ceterum
222 iuventus pleraque, sed maxime nobilium, Catilinae inceptis favebat; quibus in otio
223 vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum quam pacem
224 malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent M. Licinium Crassum non

225 ignarum eius consili fuisse; quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum
226 ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere, simul confisum, si
227 coniuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

228 [18] Sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina
229 fuit. De qua, quam verissime potero, dicam. L. Tullo et M'. Lepido consulibus P.
230 Autronius et P. Sulla designati consules legibus ambitus interrogati poenas
231 dederant. Post paulo Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat
232 consulatum petere, quod intra legitimos dies profiteri nequiverat. Erat eodem
233 tempore Cn. Piso, adulescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad
234 perturbandam rem publicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc
235 Catilina et Autronius circiter Nonas Decembris consilio communicato parabant in
236 Capitolio Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi
237 fascibus correptis Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re
238 cognita rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant. Iam tum non
239 consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni
240 Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem
241 Romam pessimum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati
242 convenerant, ea res consilium diremit.

243 [19] Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est
244 adnitente Crasso, quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognoverat. Neque
245 tamen senatus provinciam invitus dederat; quippe foedum hominem a republica
246 procul esse volebat, simul quia boni conplures praesidium in eo putabant et iam tum
247 potentia Pompei formidulosa erat. Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis,
248 quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt, qui ita dicant: imperia eius
249 iniusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati; alii autem: equites illos, Cn.

250 Pompei veteres fidosque clientis, voluntate eius Pisonem aggressos; numquam
251 Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa antea perpessos.
252 Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore coniuratione satis dictum.

253 [20] Catilina ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum
254 singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens univorsos appellare et
255 cohortari in abditam partem aedium secedit atque ibi omnibus arbitris procul amotis
256 orationem huiusce modi habuit:

257 "Ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent, nequiquam opportuna res
258 cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent, neque ego per
259 ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem.

260 "Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortis fidosque mihi, eo
261 animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere, simul quia vobis
262 eadem, quae mihi, bona malaque esse intellexi; nam idem velle atque idem nolle, ea
263 demum firma amicitia est. Sed ego quae mente agitavi, omnes iam antea divorsi
264 audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero, quae
265 condicio vitae futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem. Nam postquam
266 res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges,
267 tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui,
268 boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, iis obnoxii,
269 quibus, si res publica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia,
270 honos, divitiae apud illos sunt aut ubi illi volunt; nobis reliquere pericula, repulsas,
271 iudicia, egestatem. Quae quousque tandem patiemini, o fortissimi viri? Nonne
272 emori per virtutem praestat quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae
273 superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enim vero, pro deum atque
274 hominum fidem, victoria in manu nobis est: viget aetas, animus valet; contra illis

275 annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantum modo incepto opus est, cetera res
276 expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest illis divitias
277 superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis, nobis rem
278 familiarem etiam ad necessaria deesse? Illos binas aut amplius domos continuare,
279 nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Cum tabulas, signa, toreumata emunt,
280 nova diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant,
281 tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt. At nobis est domi inopia,
282 foris aes alienum, mala res, spes multo asperior: denique quid reliqui habemus
283 praeter miseram animam?

284 "Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas,
285 praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt; fortuna omnia ea victoribus
286 praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam
287 oratio mea vos hortantur. Vel imperatore vel milite me utimini! Neque animus
288 neque corpus a vobis aberit. Haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam, nisi
289 forte me animus fallit et vos servire magis quam imperare parati estis."

290 [21] Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed
291 neque res neque spes bona ulla, tametsi illis quietam movere magna merces videbatur,
292 tamen postulavere plerique, ut proponeret, quae condicio belli foret, quae praemia
293 armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas
294 novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia,
295 quae bellum atque lubido victorum fert. Praeterea esse in Hispania citeriore
296 Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consili sui participes;
297 petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et
298 familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum; cum eo se consulem initium
299 agendi facturum. Ad hoc maledictis increpabat omnis bonos, suorum

300 unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis
301 suae, compluris periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea
302 praedae fuerat. Postquam omnium animos alacris videt, cohortatus, ut petitionem
303 suam curae haberent, conventum dimisit.

304 [22] Fuere ea tempestate, qui dicerent Catilinam oratione habita, cum ad ius
305 iurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino
306 permixtum in pateris circumtulisse: inde cum post exsecrationem omnes
307 degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium
308 suum; atque eo +dictitare+ fecisse, quo inter se fidi magis forent alius alii tanti
309 facinoris conscii. Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab iis, qui
310 Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum,
311 qui poenas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

312 [23] Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis
313 atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant. Huic
314 homini non minor vanitas inerat quam audacia: neque reticere, quae audierat, neque
315 suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere neque facere quicquam pensi
316 habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo. Cui cum minus
317 gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montisque
318 polliceri coepit et minari interdum ferro, ni sibi obnoxia foret, postremo ferocius
319 agitare quam solitus erat. At Fulvia insolentiae Curi causa cognita tale periculum rei
320 publicae haud occultum habuit, sed sublato auctore de Catilinae coniuratione, quae
321 quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res in primis studia hominum
322 accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque
323 nobilitas invidia aestuabat et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis

324 egregius homo novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque
325 superbia post fuere.

326 [24] Igitur comitiis habitis consules declarantur M. Tullius et C. Antonius.
327 Quod factum primo popularis coniurationis concusserat. Neque tamen Catilinae
328 furor minuebatur, sed in dies plura agitare: arma per Italiam locis opportunis
329 parare, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad Manlium
330 quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos
331 cuiusque generis homines adscivisse sibi dicitur, mulieres etiam aliquot, quae primo
332 ingentis sumptus stupro corporis toleraverant, post, ubi aetas tantummodo quaestui
333 neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. Per eas se Catilina
334 credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel
335 adiungere sibi vel interficere.

336 [25] Sed in iis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora
337 commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis
338 fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere et saltare elegantius quam
339 necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper
340 omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud
341 facile discerneres; libido sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea
342 saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat; luxuria
343 atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum: posse versus
344 facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae
345 facetiae multusque lepos inerat.

346 [26] His rebus comparatis Catilina nihilo minus in proximum annum
347 consulatum petebat sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio
348 usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni.

349 Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant. Namque a principio
350 consulatus sui multa pollicendo per Fulviam effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo
351 ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet; ad hoc collegam suum Antonium
352 pactione provinciae perpulerat, ne contra rem publicam sentiret; circum se praesidia
353 amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit et
354 Catilinae neque petitio neque insidiae, quas consulibus in campo fecerat, prospere
355 cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam, quae occulte
356 temptaverat, aspera foedaque evenerant.

357 [27] Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium
358 quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit, praeterea
359 alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat.

360 Interea Romae multa simul moliri: consulibus insidias tendere, parare incendia,
361 opportuna loca armatis hominibus obsidere; ipse cum telo esse, item alios iubere,
362 hortari, uti semper intenti paratique essent; dies noctisque festinare, vigilare, neque
363 insomniis neque labore fatigari. Postremo, ubi multa agitanti nihil procedit, rursus
364 intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam ibique
365 multa de ignavia eorum questus docet se Manlium praemisisse ad eam
366 multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat, item alios in alia loca opportuna,
367 qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem
368 oppressisset; eum suis consiliis multum officere.

369 [28] Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris C. Cornelius eques Romanus
370 operam suam pollicitus et cum eo L. Vargunteius senator constituere ea nocte paulo
371 post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem ac de inproviso
372 domi suae inparatum confodere. Curius ubi intellegit, quantum periculum consuli
373 inpendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat. Ita illi

374 ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria
375 plebem sollicitare egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod
376 Sullae dominatione agros bonaque omnis amiserat, praeterea latrones cuiusque
377 generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullanis coloniis,
378 quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerat.

379 [29] Ea cum Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem
380 ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manli quantus aut
381 quo consilio foret satis compertum habebat, rem ad senatum refert iam antea vulgi
382 rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus
383 decrevit darent operam consules ne quid res publica detrimenti caperet. Ea potestas
384 per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur: exercitum parare,
385 bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque
386 imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nullius earum
387 rerum consuli ius est.

388 [30] Post paucos dies L. Saenius senator in senatu litteras recitavit, quas
389 Faesulis adlatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat C. Manlium arma cepisse cum
390 magna multitudine ante diem VI. Kalendas Novembris. Simul, id quod in tali re
391 solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari,
392 Capuae atque in Apulia servile bellum moveri.

393 Igitur senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam
394 circumque ea loca missi – hi utrique ad urbem imperatores erant, impediti ne
395 triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere
396 mos erat – sed praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum
397 Picenum eisque permissum uti pro tempore atque periculo exercitum compararent.
398 Ad hoc, si quis indicavisset de coniuratione quae contra rem publicam facta erat,

399 praemium servo libertatem et sestertia centum, libero inpunitatem eius rei et
400 sestertia ducenta itemque decrevere uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera
401 municipia distribuerentur pro cuiusque opibus, Romae per totam urbem vigiliae
402 haberentur eisque minores magistratus praeessent.

403 [31] Quibus rebus permota civitas atque inmutata urbis facies erat. Ex summa
404 laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit:
405 festinare, trepidare, neque loco neque homini cuiquam satis credere, neque bellum
406 gerere neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres,
407 quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, adflictare sese,
408 manus supplicis ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare omnia, <omni
409 rumore> pavere, <adripere omnia,> superbia atque deliciis omissis sibi patriaeque
410 diffidere.

411 At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tametsi praesidia parabantur
412 et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulo. Postremo, dissimulandi causa aut
413 sui expurgandi, sicut iurgio laccessitus foret, in senatum venit. Tum M. Tullius
414 consul, sive praesentiam eius timens sive ira conmotus, orationem habuit
415 luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille
416 adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce
417 supplici postulare a patribus coepit ne quid de se temere crederent: ea familia
418 ortum, ita se ab adolescentia vitam instituisse ut omnia bona in spe haberet; ne
419 existumarent sibi, patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in
420 plebem Romanam essent, perdita re publica opus esse, cum eam servaret M. Tullius,
421 inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia cum adderet, obstrepere omnes,
422 hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: "Quoniam quidem

423 circumventus", inquit, "ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina
424 restinguam."

425 [32] Deinde se ex curia domum proripuit. Ibi multa ipse secum volvens, quod
426 neque insidiae consuli procedebant et ab incendio intellegebat urbem vigiliis
427 munitam, optimum factu credens exercitum augere ac, prius quam legiones
428 scriberentur, multa antecapere quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis
429 in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quorum
430 cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis
431 confirmant, insidias consuli maturent, caedem, incendia aliaque belli facinora
432 parent: sese prope diem cum magno exercitu ad urbem accessurum.

433 Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium
434 Regem mittit cum mandatis huiusce modi:

435 [33] "Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam
436 cepisse neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta
437 forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate faeneratorum plerique patriae,
438 sed omnes fama atque fortunis expertes sumus. Neque cuiquam nostrum licuit more
439 maiorum lege uti, neque amisso patrimonio liberum corpus habere: tanta saevitia
440 faeneratorum atque praetoris fuit. Saepe maiores vostrum, miseriti plebis Romanae,
441 decretis suis inopiae eius opitulati sunt; ac novissime memoria nostra propter
442 magnitudinem aeris alieni volentibus omnibus bonis argentum aere solutum est.
443 Saepe ipsa plebs, aut dominandi studio permota aut superbia magistratuum armata,
444 a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus, quarum rerum
445 causa bella atque certamina omnia inter mortalis sunt, sed libertatem, quam nemo
446 bonus nisi cum anima simul amittit. Te atque senatum obtestamur: consulatis
447 miseris civibus, legis praesidium, quod iniquitas praetoris eripuit, restituatis neve

448 nobis eam necessitudinem inponatis, ut quaeramus, quonam modo maxime ulti
449 sanguinem nostrum pereamus!"

450 [34] Ad haec Q. Marcius respondit, si quid ab senatu petere vellent, ab armis
451 discedant, Romam supplices proficiscantur; ea mansuetudine atque misericordia
452 senatum populi Romani semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium
453 petiverit.

454 At Catilina ex itinere plerisque consularibus, praeterea optumo cuique litteras
455 mittit: Se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere
456 nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exilium proficisci, non quo sibi tanti
457 sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret neve ex sua contentione
458 seditio oreretur. Ab his longe divorsas litteras Q. Catulus in senatu recitavit, quas
459 sibi nomine Catilinae redditas dicebat. Earum exemplum infra scriptum est:

460 [35] "L. Catilina Q. Catulo. Egregia tua fides re cognita, grata mihi magnis in
461 meis periculis, fiduciam commendationi meae tribuit. Quam ob rem defensionem in
462 novo consilio non statui parare; satisfactionem ex nulla conscientia de culpa
463 proponere decrevi, quam, me dius fidius, veram licet cognoscas. Iniuriis
464 contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriaeque meae privatus statum
465 dignitatis non obtinebam, publicam miserorum causam pro mea consuetudine
466 suscepi, non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere non
467 possem – et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret –
468 sed quod non dignos homines honore honestatos videbam meque falsa suspicione
469 alienatum esse sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae
470 dignitatis conservandae sum secutus. Plura cum scribere vellem, nuntiatum est vim
471 mihi parari. Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado; eam ab iniuria
472 defendas per liberos tuos rogatus! Haveto!"

473 [36] Sed ipse paucos dies conmoratus apud C. Flaminium in agro Arretino,
474 dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus atque aliis imperi
475 insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta sunt, senatus
476 Catilinam et Manlium hostis iudicat, ceterae multitudini diem statuit, ante quam
477 sine fraude liceret ab armis discedere praeter rerum capitalium condemnatis.
478 Praeterea decernit, uti consules dilectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam
479 persequi maturet, Cicero urbi praesidio sit.

480 Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxime miserabile visum
481 est. Cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium
482 atque divitiae, quae prima mortales putant, adfluerent, fuere tamen cives, qui seque
483 remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus senati decretis
484 ex tanta multitudine neque praemio inductus coniurationem patefecerat neque ex
485 castris Catilinae quisquam omnium discesserat: tanta vis morbi ac veluti tabes
486 plerosque civium animos invaserat.

487 [37] Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant, sed
488 omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo
489 more suo videbatur facere. Nam semper in civitate, quibus opes nullae sunt, bonis
490 invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari
491 omnia student, turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile
492 habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea vero praeceps erat de multis causis.
493 Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxime praestabant, item alii
494 per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo
495 expulerat, in Romam sicut in sentinam confluxerant. Deinde multi memores Sullanae
496 victoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, ut
497 regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria

498 talia sperabat. Praeterea iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam
499 toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori
500 praetulerat. Eos atque alios omnis malum publicum alebat. Quo minus mirandum
501 est homines egentis, malis moribus, maxuma spe, rei publicae iuxta ac sibi
502 consuluisse. Praeterea, quorum victoria Sullae parentes proscripti, bona erepta, ius
503 libertatis inminutum erat, haud sane alio animo belli eventum expectabant. Ad hoc,
504 quicumque aliarum atque senatus partium erant, conturbari rem publicam quam
505 minus valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem
506 revorterat.

507 [38] Nam postquam Cn. Pompeio et M. Crasso consulibus tribunicia potestas
508 restituta est, homines adulescentes summam potestatem nacti, quibus aetas
509 animusque ferox erat, coepere senatum criminando plebem exagitare, dein
510 largiundo atque pollicitando magis incendere, ita ipsi clari potentesque fieri. Contra
511 eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas senatus specie pro sua magnitudine.
512 Namque, uti paucis verum absolvam, post illa tempora quicumque rem publicam
513 agitavere honestis nominibus, alii sicuti populi iura defenderent, pars quo senatus
514 auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes pro sua quisque potentia
515 certebant. Neque illis modestia neque modus contentionis erat: utrique victoriam
516 crudeliter exercebant.

517 [39] Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum atque Mithridaticum
518 missus est, plebis opes inminutae, paucorum potentia crevit. Ei magistratus
519 provincias aliaque omnia tenere; ipsi innocii, florentes, sine metu aetatem agere
520 ceterosque iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi
521 primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos eorum adrexit.
522 Quod si primo proelio Catilina superior aut aequa manu discessisset, profecto

523 magna clades atque calamitas rem publicam oppressisset; neque illis, qui victoriam
524 adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus, qui plus posset,
525 imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem
526 complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt. In iis erat Fulvius, senatoris filius,
527 quem retractum ex itinere parens necari iussit.

528 Isdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscumque
529 moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se aut per alios
530 sollicitabat, neque solum civis, sed cuiusque modi genus hominum quod modo bello
531 usui foret.

532 [40] Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat
533 eosque, si possit, inpellat ad societatem belli, existumans publice privatimque aere
534 alieno oppressos, praeterea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad
535 tale consilium adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque
536 principibus civitatum notus erat atque eos noverat. Itaque sine mora, ubi primum
537 legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis et quasi dolens eius
538 casum requirere coepit, quem exitum tantis malis sperarent. Postquam illos videt
539 queri de avaritia magistratum, accusare senatum, quod in eo auxilii nihil esset,
540 miseris suis remedium mortem exspectare: "At ego", inquit, "vobis, si modo viri esse
541 voltis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis." Haec ubi dixit, Allobroges
542 in maxumam spem adducti Umbrenum orare, ut sui misereretur: nihil tam asperum
543 neque tam difficile esse, quod non cupidissime facturi essent, dum ea res civitatem
544 aere alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat
545 neque aliena consili propter Semproniam; nam tum Brutus ab Roma aberat.
546 Praeterea Gabinium arcessit, quo maior auctoritas sermoni inesset. Eo praesente
547 coniurationem aperit, nominat socios, praeterea multos cuiusque generis innoxios,

548 quo legatis animus amplior esset. Deinde eos pollicitos operam suam domum
549 dimittit.

550 [41] Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consili caperent. In altera
551 parte erat aes alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae, at in altera
552 maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa praemia. Haec illis volventibus
553 tandem vicit fortuna rei publicae. Itaque Q. Fabio Sangae, cuius patrocínio civitas
554 plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero per Sangam
555 consilio cognito legatis praecipit, ut studium coniurationis vehementer simulent,
556 ceteros adeant, bene polliceantur dentque operam, uti eos quam maxime
557 manifestos habeant.

558 [42] Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro
559 Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos ante Catilina dimiserat,
560 inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agebant. Nocturnis consiliis
561 armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia plus timoris
562 quam periculi effecerant. Ex eo numero compluris Q. Metellus Celer praetor ex
563 senatus consulto causa cognita in vincula coniecerat, item in citeriore Gallia C.
564 Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

565 [43] At Romae Lentulus cum ceteris, qui princeps coniurationis erant, paratis,
566 ut videbatur, magnis copiis constituerant, uti, cum Catilina in agrum +Faesulanum+
567 cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis contione habita quereretur de
568 actionibus Ciceronis bellique gravissimi invidiam optumo consuli inponeret; eo
569 signo proxima nocte cetera multitudo coniurationis suum quisque negotium
570 exsequeretur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius et Gabinius uti cum
571 magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu
572 facilius aditum ad consulem ceterosque, quibus insidiae parabantur, fieret; Cethegus

573 Ciceronis ianuam obsideret eumque vi aggredere-
574 tur, alius autem alium, sed filii
575 familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentis interficerent; simul
576 caede et incendio percussis omnibus ad Catilinam erumperent. Inter haec parata
577 atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando et
578 dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto in tali
579 periculo opus esse seque, si pauci adiuverent, languentibus aliis impetum in curiam
580 facturum. Natura ferox, vehemens, manu promptus erat, maximum bonum in
581 celeritate putabat.

581 [44] Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt.
582 Ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant ius iurandum, quod signatum
583 ad civis perferant; aliter haud facile eos ad tantum negotium inPELLI posse. Ceteri
584 nihil suspicantes dant, Cassius semet eo brevi venturum pollicetur ac paulo ante
585 legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum iis T. Volturcium quendam
586 Crotoniensem mittit, ut Allobroges, priusquam domum pergerent, cum Catilina
587 data atque accepta fide societatem confirmarent. Ipse Volturcio litteras ad Catilinam
588 dat, quarum exemplum infra scriptum est:

589 "Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate
590 sis, et memineris te virum esse! Consideres, quid tuae rationes postulent! Auxilium
591 petas ab omnibus, etiam ab infumis!"

592 Ad hoc mandata verbis dat: Cum ab senatu hostis iudicatus sit, quo consilio
593 servitia repudiet? In urbe parata esse, quae iusserit; ne cunctetur ipse propius
594 accedere.

595 [45] His rebus ita actis constituta nocte, qua profiscerentur, Cicero per legatos
596 cuncta edoctus L. Valerio Flacco et C. Pomptino praetoribus imperat, ut in ponte
597 Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant. Rem omnem aperit, cuius

598 gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit. Illi, homines
599 militares, sine tumultu praesidiis conlocatis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem
600 obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venerunt et simul utrimque
601 clamor exortus est, Galli cito cognito consilio sine mora praetoribus se tradunt;
602 Volturcius primo cohortatus ceteros gladio se a multitudine defendit, deinde, ubi a
603 legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus
604 erat, postremo timidus ac vitae diffidens velut hostibus sese praetoribus dedit.

605 [46] Quibus rebus confectis omnia propere per nuntios consuli declarantur. At
606 illum ingens cura atque laetitia simul occupavere. Nam laetabatur intelligens
607 coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse: porro autem anxius erat
608 dubitans, in maximo scelere tantis civibus deprehensis quid facto opus esset:
609 poenam illorum sibi oneri inpunitatem perdundae rei publicae fore credebat. Igitur
610 confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium
611 itemque Caeparium Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci
612 parabat. Ceteri sine mora veniunt; Caeparius, paulo ante domo egressus, cognito
613 indicio ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens in
614 senatum perducit, reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire iubet. Eo
615 senatum advocat magnaue frequentia eius ordinis Volturcium cum legatis
616 introducit; Flaccum praetorem scrinium cum litteris, quas a legatis acceperat, eodem
617 adferre iubet.

618 [47] Volturcius interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid aut qua de
619 causa consili habuisset, primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi
620 fide publica dicere iussus est, omnia, uti gesta erant, aperit docetque se paucis ante
621 diebus a Gabinio et Caepario socium adscitum nihil amplius scire quam legatos;
622 tantummodo audire solitum ex Gabinio P. Autronium, Ser. Sullam, L. Vargunteium,

623 multos praeterea in ea coniuratione esse. Eadem Galli fatentur ac Lentulum
624 dissimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus, quos ille habere solitus erat:
625 Ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam
626 antea, se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri; praeterea ab incenso Capitolio
627 illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent
628 bello civili cruentum fore. Igitur perlectis litteris, cum prius omnes signa sua
629 cognovissent, senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in
630 liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis
631 erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Caeparius
632 nam is paulo ante ex fuga retractus erat Cn. Terentio senatori traduntur.

633 [48] Interea plebs coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum
634 nimis bello favebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad caelum
635 tollere, veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat. Namque alia
636 belli facinora praedae magis quam detrimento fore, incendium vero crudele,
637 inmoderatum ac sibi maxime calamitosum putabat, quippe cui omnes copiae in usu
638 cotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum
639 adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Is
640 cum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a
641 consule, quae sciret, edicere, eadem fere, quae Volturcius, de paratis incendiis, de
642 caede bonorum, de itinere hostium senatum docet; praeterea se missum a M. Crasso,
643 qui Catilinae nuntiaret, ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione
644 deprehensi terrerent eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum
645 animos reficeret et illi facilius e periculo eriperentur. Sed ubi Tarquinius Crassum
646 nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia, alii rem
647 incredibilem rati, pars, tametsi verum existumabant, tamen, quia in tali tempore

648 tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex
649 negotiis privatis obnoxii, conclamant indicem falsum esse deque ea re postulant uti
650 referatur. Itaque consulente Cicerone frequens senatus decernit Tarquini indicium
651 falsum videri eumque in vinculis retinendum neque amplius potestatem faciundam,
652 nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem esset mentitus. Erant eo tempore, qui
653 existumarent indicium illud a P. Autronio machinatum, quo facilius appellato
654 Crasso per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a
655 Cicerone inmissum aiebant, ne Crassus more suo suspecto malorum patrocínio rem
656 publicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi tantam illam
657 contumeliam sibi ab Cicerone inpositam.

658 [49] Sed isdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque precibus neque gratia
659 neque pretio Ciceronem inpellere potuere, uti per Allobroges aut alium indicem C.
660 Caesar falso nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebat: Piso
661 oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum propter cuiusdam Transpadani
662 supplicium iniustum, Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod extrema
663 aetate, maxumis honoribus usus, ab adulescentulo Caesare victus discesserat. Res
664 autem opportuna videbatur, quod is privatim egregia liberalitate, publice maxumis
665 muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi consulem ad tantum facinus
666 inpellere nequeunt, ipsi singillatim circumeundo atque ementiundo, quae se ex
667 Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant
668 usque eo, ut nonnulli equites Romani, qui praesidi causa cum telis erant circum
669 aedem Concordiae, seu periculi magnitudine seu animi mobilitate impulsí, quo
670 studium suum in rem publicam clarius esset, egredienti ex senatu Caesari gladio
671 minitarentur.

672 [50] Dum haec in senatu aguntur et dum legatis Allobrogum et T. Volturcio
673 conprobato eorum indicio praemia decernuntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli
674 divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiundum sollicitabant,
675 partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rem publicam vexare soliti
676 erant. Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos,
677 orabat, ut grege facto cum telis ad sese inrumperent. Consul ubi ea parari cognovit,
678 dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert, quid de
679 iis fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paulo ante frequens senatus
680 iudicaverat contra rem publicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus primus sententiam
681 rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de iis, qui in custodiis tenebantur,
682 et praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent,
683 supplicium sumundum decreverat; isque postea permotus oratione C. Caesaris
684 pedibus in sententiam Ti. Neronis iturum se dixit, qui de ea re praesidiis additis
685 referendum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a
686 consule huiusce modi verba locutus est:

687 [51] "Omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio,
688 amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum
689 providet, ubi illa officiunt, neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit.
690 Ubi intenderis ingenium, valet; si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet.
691 Magna mihi copia est memorandi, patres conscripti, quae reges atque populi ira aut
692 misericordia impulsu male consuluerint. Sed ea malo dicere, quae maiores nostri
693 contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum
694 rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quae populi
695 Romani opibus creverat, infida et advorsa nobis fuit. Sed postquam bello confecto de
696 Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis quam iniuriae causa

697 bellum inceptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, cum
698 saepe Carthaginienses et in pace et per indutias multa nefaria facinora fecissent,
699 numquam ipsi per occasionem talia fecere: magis, quid se dignum foret, quam quid
700 in illos iure fieri posset, quaerebant. Hoc item vobis providendum est, patres
701 conscripti, ne plus apud vos valeat P. Lentuli et ceterorum scelus quam vostra
702 dignitas neu magis irae vestrae quam famae consulatis. Nam si digna poena pro
703 factis eorum reperitur, novum consilium adprobo; sin magnitudo sceleris omnium
704 ingenia exsuperat, his utendum censeo, quae legibus comparata sunt.

705 “Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, compositae atque magnifice
706 casum rei publicae miserati sunt. Quae belli saevitia esset, quae victis acciderent,
707 enumeravere: rapti virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres
708 familiarum pati, quae victoribus conlubuissent, fana atque domos spoliari, caedem,
709 incendia fieri, postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia conpleri. Sed
710 per deos immortalis, quo illa oratio pertinuit? An uti vos infestos coniurationi
711 faceret? Scilicet, quem res tanta et tam atrox non permovit, eum oratio accendet.
712 Non ita est neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur; multi eas
713 gravius aequo habuere. Sed alia aliis licentia est, patres conscripti. Qui demissi in
714 obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt: fama atque fortuna
715 eorum pares sunt; qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta
716 cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minuma licentia est; neque studere
717 neque odisse, sed minime irasci decet; quae apud alios iracundia dicitur, ea in
718 imperio superbia atque crudelitas appellatur. Equidem ego sic existumo, patres
719 conscripti, omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse. Sed plerique
720 mortales postrema meminere et in hominibus inpiis sceleris eorum obliti de poena
721 disserunt, si ea paulo severior fuit.

722 “D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certo scio, quae dixerit, studio rei
723 publicae dixisse neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere: eos mores
724 eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia eius mihi non crudelis — quid
725 enim in talis homines crudele fieri potest? — sed aliena a re publica nostra videtur.
726 Nam profecto aut metus aut iniuria te subegit, Silane, consulem designatum genus
727 poenae novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, cum praesertim
728 diligentia clarissimi viri consulis tanta praesidia sint in armis. De poena possum
729 equidem dicere, id quod res habet, in luctu atque miseriis mortem aerumnarum
730 requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque
731 curae neque gaudio locum esse. Sed, per deos immortalis, quam ob rem in
732 sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadvorteretur? An quia lex
733 Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed
734 exsiliium permitti iubent. An quia gravius est verberari quam necari? Quid autem
735 acerbum aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius
736 est, qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in maiore neglexeris?

737 “At enim quis reprehendet, quod in parricidas rei publicae decretum erit?
738 Tempus, dies, fortuna, cuius lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet,
739 quicquid evenerit; ceterum vos patres conscripti, quid in alios statuatis, considerate!
740 Omnia mala exempla ex rebus bonis orta sunt. Sed ubi imperium ad ignaros eius aut
741 minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et
742 non idoneos transfertur. Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros
743 inposuere, qui rem publicam eorum tractarent. Ii primo coepere pessimum
744 quemque et omnibus invisum indemnatum necare: ea populus laetari et merito
745 dicere fieri. Post, ubi paulatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubricinose
746 interficere, ceteros metu terrere: ita civitas servitute oppressa stultae laetitiae gravis

747 poenas dedit. Nostra memoria victor Sulla cum Damasippum et alios eius modi, qui
748 malo rei publicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? Homines
749 scelestos et factiosos, qui seditionibus rem publicam exagitaverant, merito necatos
750 aiebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam uti quisque domum aut villam,
751 postremo vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, ut is in
752 proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, paulo
753 post ipsi trahebantur neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis
754 explevit. Atque ego haec non in M. Tullio neque his temporibus vereor; sed in
755 magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule, cui item
756 exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. Ubi hoc exemplo per senatus
757 decretum consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet aut quis moderabitur?

758 “Maiores nostri, patres conscripti, neque consili neque audaciae umquam
759 eguere; neque illis superbia obstat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant,
760 imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab
761 Tuscis pleraque sumpserunt. Postremo, quod ubique apud socios aut hostis
762 idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur: imitari quam invidere
763 bonis malebant. Sed eodem illo tempore Graeciae morem imitati verberibus
764 animadvortebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant.
765 Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valere, circumveniri
766 innocentes, alia huiusce modi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae
767 sunt, quibus legibus exsilium damnatis permissum est. Hanc ego causam, patres
768 conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto
769 virtus atque sapientia maior illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere,
770 quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus.

771 "Placet igitur eos dimitti et augeri exercitum Catilinae? Minime. Sed ita
772 censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae
773 maxime opibus valent; neu quis de iis postea ad senatum referat neve cum populo
774 agat; qui aliter fecerit, senatum existumare eum contra rem publicam et salutem
775 omnium facturum."

776 [52] Postquam Caesar dicundi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie
777 adsentiebantur. At M. Porcius Cato rogatus sententiam huiusce modi orationem
778 habuit:

779 "Longe alia mihi mens est, patres conscripti, cum res atque pericula nostra
780 considero et cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. Illi mihi disseruisse
781 videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum
782 paravere; res autem monet cavere ab illis magis quam, quid in illos statuamus,
783 consultare. Nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc, nisi provideris,
784 ne accidat, ubi evenit, frustra iudicia inploras: capta urbe nihil fit reliqui victis. Sed,
785 per deos immortalis, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas
786 vostras pluris quam rem publicam fecistis: si ista, cuiuscumque modi sunt, quae
787 amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere voltis, expergiscimini
788 aliquando et capessite re publicam! Non agitur de vectigalibus neque de sociorum
789 iniuriis: libertas et anima nostra in dubio est.

790 "Saepe numero, patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci, saepe de
791 luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum multosque mortalis ea causa
792 advorsos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam
793 fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos
794 parvi pendebatis, tamen res publica firma erat: opulentia negligentiam tolerabat.
795 Nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus, neque quantum aut

796 quam magnificum imperium populi Romani sit, sed haec, cuiuscumque modi
797 videntur, nostra an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam
798 mansuetudinem et misericordiam nominat! Iam pridem equidem nos vera vocabula
799 rerum amisimus: quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia
800 fortitudo vocatur, eo res publica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores
801 habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerari; ne illi
802 sanguinem nostrum largiantur et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis
803 perditum eant!

804 "Bene et composita C. Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte
805 disseruit, credo falsa existumans ea, quae de inferis memorantur: divorso itinere
806 malos a bonis loca taetra, inculta, foeda atque formidulosa habere. Itaque censuit
807 pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos, videlicet
808 timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis aut a multitudine
809 conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe et
810 non per totam Italiam sint aut non sibi plus possit audacia, ubi ad defendendum
811 opes minores sunt! Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis
812 metuit; si in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque
813 vobis timere. Quare, cum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote vos
814 simul de exercitu Catilinae et de omnibus coniuratis decernere! Quanto vos attentius
815 ea ageris, tanto illis animus infirmior erit; si paulum modo vos languere viderint,
816 iam omnes feroces aderunt.

817 "Nolite existumare maiores nostros armis rem publicam ex parva magnam
818 fecisse! Si ita esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus; quippe sociorum
819 atque civium, praeterea armorum atque equorum maior copia nobis quam illis est.
820 Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris

821 iustum imperium, animus in consulundo liber, neque delicto neque lubidini
822 obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem,
823 privatim opulentiam. Laudamus divitias, sequimur inertiam. Inter bonos et malos
824 discrimen nullum, omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum: ubi vos
825 separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut
826 gratiae servitis, eo fit, ut impetus fiat in vacuam rem publicam.

827 “Sed ego haec omitto. Coniuravere nobilissimi cives patriam incendere,
828 Gallorum gentem infestissumam nomini Romano ad bellum arcessunt, dux hostium
829 cum exercitu supra caput est. Vos cunctamini etiam nunc et dubitatis, quid intra
830 moenia deprensus hostibus faciatis? Misereamini censeo: deliquere homines
831 adolescentuli per ambitionem atque etiam armatos dimittatis. Ne ista vobis
832 mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convortat! Scilicet res
833 ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxume. Sed inertia et mollitia
834 animi alius alium expectantes cunctamini, videlicet dis immortalibus confisi, qui
835 hanc rem publicam saepe in maxumis periculis servavere. Non votis neque
836 suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agundo, bene
837 consulundo prospere omnia cedunt. Ubi socordiae te atque ignaviae tradideris,
838 nequiquam deos implores: irati infestique sunt.

839 “Apud maiores nostros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod
840 is contra imperium in hostem pugnaverit, necari iussit atque ille egregius
841 adolescens inmoderatae fortitudinis morte poenas dedit: vos de crudelissimis
842 parricidis quid statuatis, cunctamini? Videlicet cetera vita eorum huic sceleri obstat.
843 Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si dis aut
844 hominibus umquam ullis pepercit! Ignoscite Cethegi adolescentiae, nisi iterum

845 patriae bellum fecit! Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Caepario loquar? Quibus si
846 quicquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de re publica habuissent.

847 "Postremo, patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer
848 vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis. Sed undique circumventi sumus.
849 Catilina cum exercitu faucibus urget, alii intra moenia atque in sinu urbis sunt
850 hostes; neque parari neque consuli quicquam potest occulte: quo magis
851 properandum est.

852 "Quare ego ita censeo: Cum nefario consilio sceleratorum civium res publica in
853 maxuma pericula venerit iique indicio T. Volturci et legatorum Allobrogum convicti
854 confessique sint caedem, incendia aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis
855 patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more
856 maiorum supplicium sumundum."

857 [53] Postquam Cato adsedit, consulares omnes itemque senatus magna pars
858 sententiam eius laudant, virtutem animi ad caelum ferunt, alii alios increpantes
859 timidos vocant. Cato clarus atque magnus habetur; senati decretum fit, sicuti ille
860 censuerat.

861 Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi
862 militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res
863 maxume tanta negotia sustinisset. Sciebam saepenumero parva manu cum magnis
864 legionibus hostium contendisse; cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis
865 regibus, ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse, facundia Graecos, gloria belli
866 Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi multa agitati constabat paucorum civium
867 egregiam virtutem cuncta patravisse eoque factum uti divitas paupertas,
868 multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta
869 est, rursus res publica magnitudine sua imperatorum atque magistratum vitia

870 sustentabat ac, sicuti effeta parente, multis tempestatibus haud sane quisquam
871 Romae virtute magnus fuit. Sed memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere
872 viri duo, M. Cato et C. Caesar. Quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non
873 fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possum,
874 aperirem.

875 [54] Igitur iis genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere, magnitudo animi
876 par, item gloria, sed alia alii. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur,
877 integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas
878 dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiundo
879 gloriam adeptus est. In altero miseris perfrugium erat, in altero malis perniciēs. Illius
880 facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat
881 laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua negligere, nihil denegare, quod
882 dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat,
883 ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxime
884 severitatis erat; non divitiis cum divite neque factione cum factioso, sed cum strenuo
885 virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri
886 bonus malebat: ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur.

887 [55] Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul
888 optimum factu ratus noctem, quae instabat, antecapere, ne quid eo spatio
889 novaretur, tres viros, quae supplicium postulabat, parare iubet. Ipse praesidiis
890 dispositis Lentulum in carcerem deducit; idem fit ceteris per praetores. Est in carcere
891 locus, quod Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderit ad laevam, circiter
892 duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque insuper
893 camera lapideis fornicibus iuncta; sed incultu, tenebris, odore foeda atque terribilis
894 eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum

895 capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patricius ex gente
896 clarissima Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus
897 factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem
898 modo supplicium sumptum est.

899 [56] Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat
900 et Manlius habuerat, duas legiones instituit, cohortis pro numero militum complet.
901 Deinde, ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, aequaliter distribuerat
902 ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, cum initio non amplius
903 duobus milibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus
904 armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii
905 praeacutas sudis portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat,
906 Catilina per montis iter facere, modo ad urbem, modo in Galliam versus castra
907 movere, hostibus occasionem pugnandi non dare. Sperabat propediem magnas
908 copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. Interea servitia
909 repudiabat, cuius generis initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus
910 coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existumans videri causam civium
911 cum servis fugitivis communicavisse.

912 [57] Sed postquam in castra nuntius pervenit Romae coniurationem
913 patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque, quos supra memoravi, supplicium
914 sumptum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium
915 illexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montis asperos magnis itineribus in
916 agrum Pistoriensem abducit eo consilio, uti per tramites occulte perfugeret in
917 Galliam Transalpinam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno
918 praesidebat ex difficultate rerum eadem illa existumans, quae supra diximus,
919 Catilinam agitare. Igitur ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movit ac

920 sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti.
921 Neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus
922 +expeditos+ in fuga sequeretur. Sed Catilina, postquam videt montibus atque copiis
923 hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae neque praesidi ullam
924 spem, optimum factu ratus in tali re fortunam belli temptare, statuit cum Antonio
925 quam primum conflare. Itaque contione advocata huiusce modi orationem habuit:

926 [58] "Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere neque ex
927 ignavo strenuum neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri.
928 Quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet.
929 Quem neque gloria neque pericula excitant, nequiquam hortere: timor animi auribus
930 officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi, simul uti causam mei consili
931 aperirem.

932 "Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque
933 cladem attulerit quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci
934 nequiverim. Nunc vero quo loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes intellegitis.
935 Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant; diutius in his locis esse,
936 si maxime animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet;
937 quocumque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, uti forti
938 atque parato animo sitis et, cum proelium inbitis, meminertis vos divitias, decus,
939 gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus,
940 omnia nobis tuta erunt: commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt; si
941 metu cesserimus, eadem illa advorsa fient, neque locus neque amicus quisquam
942 teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis
943 necessitudo inpendet: nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus, illis
944 supervacaneum est pugnare pro potentia paucorum. Quo audacius aggredimini

945 memores pristinae virtutis! Licuit vobis cum summa turpitudine in exilio aetatem
946 agere, potuistis nonnulli Romae amissis bonis alienas opes exspectare: quia illa
947 foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. Si haec relinquere
948 voltis, audacia opus est; nemo nisi victor pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem
949 sperare, cum arma, quibus corpus tegitur, ab hostibus avorteris, ea vero dementia
950 est. Semper in proelio iis maximum est periculum, qui maxime timent; audacia pro
951 muro habetur.

952 “Cum vos considero, milites, et cum facta vostra aestumo, magna me spes
953 victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vostra me hortantur, praeterea necessitudo,
954 quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat,
955 prohibent angustiae loci. Quod si virtuti vestrae fortuna inviderit, cavete inulti
956 animam amittatis neu capiti potius sicuti pecora trucidemini quam virorum more
957 pugnantes cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis!”

958 [59] Haec ubi dixit, paululum conmoratus signa canere iubet atque instructos
959 ordines in locum aequum deducit. Dein remotis omnium equis, quo militibus
960 exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis
961 instruit. Nam uti planities erat inter sinistros montis et ab dextra rupe aspere, octo
962 cohortis in fronte constituit, reliquarum signa in subsidio artius conlocat. Ab iis
963 centuriones, omnis lectos et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optimum
964 quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextra, Faesulanum
965 quendam in sinistra parte curare iubet. Ipse cum libertis et calonibus propter
966 aquilam adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur.

967 At ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger quod proelio adesse nequibat, M.
968 Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortis veteranas, quas tumultus causa
969 conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo

970 circumiens unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat, ut meminerint se
971 contra latrones inermis pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis certare. Homo
972 militaris, quod amplius annos triginta tribunus aut praefectus aut legatus aut
973 praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia
974 noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

975 [60] Sed ubi omnibus rebus exploratis Petreius tuba signum dat, cohortis
976 paulatim incedere iubet; idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum est,
977 unde a ferentariis proelium conmitti posset, maximo clamore cum infestis signis
978 concurrunt: pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani pristinae virtutis memores
979 cominus acriter instare, illi haud timidi resistunt: maxuma vi certatur. Interea
980 Catilina cum expeditis in prima acie vorsari, laborantibus succurrere, integros pro
981 sauciis arcessere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire:
982 strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius ubi videt
983 Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios
984 hostis inducit eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit. Deinde
985 utrimque ex lateribus ceteros aggreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes
986 cadunt. Catilina postquam fusas copias seque cum paucis relictum videt, memor
987 generis atque pristinae suae dignitatis in confertissimos hostis incurrit ibique
988 pugnans confoditur.

989 [61] Sed confecto proelio tum vero cerneret, quanta audacia quantaque animi
990 vis fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere quem quisque vivus pugnando locum
991 ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors
992 praetoria disiecerat, paulo divorsius, sed omnes tamen advorsis vulneribus
993 conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est paululum
994 etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo

995 ex omni copia neque in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est:
996 ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi
997 Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissimus quisque
998 aut occiderat in proelio aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui e castris
999 visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera amicis alii,
1000 pars hospitem aut cognatum reperiabant; fuere item, qui inimicos suos
1001 cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atque gaudia
1002 agitabantur.